



V 882

28

Q. D. B. V.

IUS PRINCIPUM

CIRCA

VOCATIONEM LITTERATI

EXERCITATIONE ACADEMICA

PRAESIDE

IO. GOTTL. DE HACKEMAN,

I. U. D. ET INST. PROF. PUBL. ORD.

D. VII. JUN. 1742

IN ACADEMIA VIADRINA

H. L. Q. C.

HABENDA

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

PROPONIT

IO. DAN. FUNCKE

Mittauia - Curon.

FRANCOFURTI CIS VIADRUM
Typis MARTINI HÜBNERI.

1742



INSTITUTUM

EXERCITATIONUM LITTERARUM

EXERCITATIONUM ACADEMICARUM

CHRISTIANO

IOHANNIS DE HAGENMANN

1. THE. THE. THE. THE. THE.

2. THE. THE. THE. THE. THE.

3. THE. THE. THE. THE. THE.

4. THE. THE. THE. THE. THE.

5. THE. THE. THE. THE. THE.

6. THE. THE. THE. THE. THE.

7. THE. THE. THE. THE. THE.

8. THE. THE. THE. THE. THE.

9. THE. THE. THE. THE. THE.

10. THE. THE. THE. THE. THE.

11. THE. THE. THE. THE. THE.

12. THE. THE. THE. THE. THE.

13. THE. THE. THE. THE. THE.



VIRO
ILLUSTRISSIMO
AC
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO
DE BRAND

AUGUSTISSIMI BORUSSORUM REGIS
BELLI ET STATUS ADMINISTRO
INTIMO

RERUM ECCLESIASTICARUM AC CONSISTORII
ELECTORALIS MARCHICI
PRAESIDI OPTIMO
ACADEMIARUM REGIARUM OMNIUM

ITEMQVE
SCHOLARUM UT ET BIBLIOTHECAE REGIAE
CURATORI SUPREMO.

CAUSSARUM GALLICARUM
GUBERNATORI

DOMINO HEREDITARIO IN WUTZIG, HERMS-
DORF, LIPKE, GRAHLOW ET
POLLICHEN &c. &c.

VIRO
ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO
DE BRANDENBURGO
AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGIS
BELLI ET STATUS ADMINISTRATORI
INTIMO
RERUM FOEDERATICARUM AC CONSISTORII
ELECTORIS MARCHIONIS
PRAESIDI OPTIMO
ACADEMIARUM REGIARUM OMNIUM
MEMBRO
SCHOLARUM UT ET BIBLIOTHECAE REGIAE
CURATORI SUMMO
CAUSSARUM PALLIARUM
GOVERNATORI
DOMINO HEREDITARIO IN WUTUNO HERMS
DORF LIBER BARON ET
KOLLEGIEN & C.



VIRO
PERILLUSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO
DE REICHENBACH

AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI
A CONSILIIIS INTIMIS
SUMMI CONSISTORII
PRAESIDI

ECCLESIARUM OMNIUM
CAUSSARUM GALLICARUM

ET
MONTIS PIETATIS DIRECTORI
REGIARUM ACADEMIARUM CURATORI
REGIMINIS MINDENSIS
CONSILIARIO

RELIQVA.

DISSERTATIONEM HANC

D. D. D.

VIRO
PERITUSTRI
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO
DE REICHTENBACH
AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI
A CONSILII INTIMIS
SUMMI CONSILIORUM
PRESIDI
ECCLESiarUM OMNIUM
CAESARUM GALICARUM
ET
MONTIS PIETATIS DIRECTORI
LEGUM ACAD. MARUM CURATORI
REGIMINE MUNDENSIS
CONSILIO
BELLVA
DISSERTATIONEM HANC
D. D.



ILLUSTRISSIMI
ATQVE
PERILLUSTRES VIRI!

Bellissimae semper infidatus sum occa-
sioni, qua cultum erga VOS, VIRI
ILLUSTRISSIMI atque PERILLU-
STRES, adhuc inter cancellos animi mei au-
rissime latentem, luci publicae exponerem.
Benignitatis enim VESTRAE, cum mihi VO-
BIScum loquendi et asylum certum in re in-
certa quaerendi daretur copia, non vnum de-
didistis documentum. Ille uultus VESTER, qui
grauitatem spirabat, amorem vna reuerenti-
amque mihi insinuabat. Hinc et VESTRA
indulgentia fretus eo audaciae processi, vt pa-
gellas hasce, quae fautoribus egent et praesfi-
dio, auxiliumque VESTRUM poscunt, no-
mine

mine VESTRO ornarem, certissime per-
suasus, quod hoc ipsum tum ingenii mei in-
becillitati, tum meae in scribendo tenuitati,
splendorem ac lucem foenerari possit optime.
Accedit, VESTRA in principem aequae, ac
republicam litterariam merita a me requi-
rere, ut schediasma hoc de Iure principum
circa uocationem litterati censurae VESTRAE
submitterem et iudicio, quod nec sapientia ca-
rere potest, nec benevolentia. Adquiescite
VOS interea pietati meae. Ego certe pro
uirili efficiam, ne me in cognoscendis, inpen-
dendis, praedicandisque illustribus beneficiis
VESTRIS feruor destituat et studium. Vi-
geatis, floreatis, VIRI ILLUSTRISSIMI at-
que PERILLUSTRES et in emolumentum
patriae ac litterarum decus quam diutissime
immobiles persistite!

ILLUSTRISSIMORUM
ATQUE
PERILLUSTRIUM VESTRO-
RUM NOMINUM

Francof. cis Viadr.
Prid. Non. Jun.
MDCCXXXII.

cliens deuotissimus
JO. DAN. FUNCKE.

I. N. D. N. I. C.

CAP. I.

DE

VARIIS VARIARUM RERUM. EMOLUMENTIS, A PRINCIPE SEU MAGISTRATU QUALICUMQUE MODO CURANDIS.



§. I.

Erumplicarum quamlibet propriis uelut inniti fundamentis, ex quibus unicuique sua redundant comoda et emolumenta, id quidem sole meridiano clarius esse, quotidiana

*Quaeris
resp. suis
gauder con
modis.*

na docet experientia. Absque eius modi salutis publicae fontibus aut principiis nullius omnino provinciae status potest persistere, ipsarum quoque regionum incolae nequam in qualicumque felicitatis tenore, ea si remoueas, conseruabuntur. Ad uitae sustentationem uariis opus est adminiculis atque adiutamentis, quae cuiusuis terrae qualitas et ratio ipsa sibi suisque incolis plerumque subpeditat. Alius namque terrae tractus frumenti adfluentia celebris, alius insignem adfert nobiliorum uinorum copiam, ex alio pecudum pinguiorum ad alias gentes integrae transferuntur cateruae, alium auri et argenti metallorumque reliquorum ubertas speciosum reddit, ad alium pharmacopolae et mercatores aromatum rerumque pretiosorum gratia

A

con-

concurrunt. Sunt praeter ea certae occasiones et circumstantiae regionum et urbium, quin etiam ipsissimorum incolarum, quae regionibus suis praestantiam quamdam et decus singulare conciliant, ut v. g. alia gens ex natura & ingenii ac uitae suae conditione procliuor sit ad mercaturam, alia ad rem militarem, alia uero ad agriculturam, alia rursus ad nitidiores artes manuaras, alia denique ad dexteriores praestantium scientiarum peruestigationem et perfectionem animum intendat. Diuersitatem quoque peculiarem conmodi publici adfert diuersitas populi alius aliusque, magis uel minus morati, aut ingeniosi, aut rei familiari magis uel minus dediti, aut religioni sic uel secus studentis, uel etiam regiminis sui politici incremento in pensus uel remisus inuigilantis. *Conf. IO. ADOLPH. HOFFMANN L. II. p. 55. Polit. Anmerk. über die wahre und falsche Staats-Kunst, nec non de la Placette traité de l'interest.*

§. II.

De uoce
Interest.

Diuerfa eiusmodi diuersarum gentium conmoda, quibus pro diuersitate regionum, climatum, ingeniorum aliarumque circumstantiarum, peculiarem inpendunt operam, adpellari uulgo solent INTERESSE prouinciarum, uocabulo uero uocis quidem, at uix ratione significationis genuine latino. Verbum *interest* in impersonali quidem significato classicae notae auctoribus est satis usitatum, at infinitiui sui in nomen degenerantis curiositatem ex plumbeo latini sermonis saeculo adeo miratur, ut uix

uix pro suo agnoscat. E contrario non nisi cum honoris praefatione hoc uocabulo **ALCIATUS** *lib de eo, quod interest*, utitur. Adeo **CORASIVS TOM. II. p. 597.** ad similitudinem infinitiuorum aliorum, ut **Tuum** scire etc. substantiue etiam dici posse: **TUUM INTERESSE**, contendit. Obtinuit interim numi instar recte adulterini uocabulum interesse, ut in communi uita, modo pro foenore siue usura, quam ex elocata pecuniae summa quotannis v. c. recipimus, modo pro re sibi utili ad quam vnusquisque felicitatis suae haud inmemor merito anhelat. Quin immo in laxiori significatione per uocem **INTERESSE** ut plurimum intelligitur commodum publicum, cuius gratia quidquid suscipitur, id omne ad commune dirigatur emolumentum. De multiplici acceptione uocis *interesse* *conf.* **PETR. GRANGIANUS paradox. p. 644. To. V. apud EU. OTT. T. I. R.**

§. III.

Curam eius in primis gerere solet magistratus, siue is ex pluribus capitibus in re quadam publica sit constitutus, siue sub regis aut principis eiusque administratorum nomine innotescat. *Conf. Mons.* **CROUSAZ** *Traité du beau*, ubi ad principem praefertim spectare, ut statui publico bene prospiciat, perelegantur ostendit. Agnoscendum hic facile, quod pro diuersa principis inclinatione aut ingenio nunc alacrius cura publici *interesse* seu comodi, nunc segnus aut negligentius, quam par est, suscipiatur. Sunt inter eos, qui reip. clauum gerunt saepius

Princeps
interesse
regionis
suae aduen-
dat.

piusculi tales, qui proprium nonnumquam commodum a comodo publico forte alienum huic anteponunt. Sunt etiam, quorum interesse proprium cum publico comodo amice conspirat, quo casu ipsi reipublicae solliciti & singulari cum industria prospici solet. Magnam proinde felicitatem provincius exinde resultare, quando inclinatio seu desiderium principis cum comodo siue interesse ipsius provinciae conveniat, manifestum est. Quod si enim princeps ad suam, cui prae est, rempublicam pari modo referri mereatur uti maritus erga uxorem suam, convenientia *§ INTERESSE* in utroque, nimirum principe et sua provincia, huic vel etiam utrique adeo erit proficua, ut hic quoque quadrare possit illud tritum: Idem velle et idem nolle, ea demum firma est amicitia. *Vid. COMMENTATIO DN. PRAES. de Iure Nat. genuino inr. reliqu. parente, passim. MEMOIRES de SULLY Part. I. p. 477.*

§. IV.

Probatio
praecedens
per

Fingamus u. c. rempublicam, in qua lanae atque etiam lini insignis copia quotannis nascatur, in qua insuper lignum elegans uarii generis, praeter eaque ferrum satis purum, neque minus cuprum et orichalcum largo suo protentu incolas ad nitidam earum rerum tractationem inuitet atque deducat. Statuamus porro, provinciae eius incolis, quod si non omnibus, saltem plurimis inesse peculiarem amorem & agilitatem, quin etiam aptitudinem fabricandi ex dictis rebus uaria ad corporis et elegantiae cultum spectantia. Ponamus deinde eiusdem

dem prouinciae eam esse conditionem, ut ex pannis linteisque et aliis rebus adfabre in ea effectis et rite perfectis plurimae uel per quadrigas uel per naues ad alias gentes earum rerum cupidas uenditionis causa efferri possint. Vbi nunc magistratus eius prouinciae salutaribus praeceptis, priuilegiis, praemiis, et id genus pluribus auxiliis conferat, quidquid ad subditorum naturaeque spontaneos conatus conuenienter adiuuandos et promouendos pertinuerit, nae, ille dominii sui felicitatem adeo exsuscitabit et augebit, ut quotidiani exinde fructus non possint non largissime redundare. *Conf. CICERO L. I. c. IV. de offic.* Disca tam florenti Angliae et Hollandiae statu conprobantur. Diligentior magistratus ad subditorum felicitatem adtentio ad stupendas regna ea euexit diuitiarum copias et ubertatis omnis fastigium. *Vid. SURVET OF TRADE p. 29. MEMOIRES sur le commerce des Hollandois et §. VII.* Si contra ea magistratus neglexerit, subditorum studia et inclinationem, ne dicam, si prorsus impediuerit eandem durioribus u. g. tributis, uectigalibus, stipendiis, aliisque oneribus, quae tum diminuunt subditorum priuata bona, et media uitae sustentandae iis necessaria subtrahunt, tum uero etiam industriam eorum defatigant et incassum redigunt, qui quaeso emolumentum reip. ad speratam et a prouinciae conditione facile profluentem a subditis uero intentam, felicitatis eleuationem euehi poterit? *MEMOIRES de SULLY PART. II. p. 20. 296.*

§. V.

exemplo-
rum indu-
ctionem,

Sit alius cuiusdam prouinciae situatio ita comparata, vt medium quali locum inter uiginti alias occupet, quarum hae quaedam diuersis artibus manuariis, aliae quaedam re frumentaria, aliae re pecuaria, aliae deinceps prouentu metallico, aliae uero aromatum insigni frugalitate eximie floeant, ipsa autem princeps ueluti, et inter reliquas media, oceano uicina, celebrioribusque diues fluminibus creberrimis nauium excursionibus existat aptissima. Jam uel simplicioris ingenii homo facile arguet, egregiam sibi utilitatem prouinciae eius incolae conciliare posse, ubi a situationis suae sorte datam occasionem plenis anplectantur manibus, et mercaturae insigniorem inpendant operam. Fati autem inuidiam ponamus intulisse iis personas ad reip. puppim constitutas, quae penitus a rebus ad negotiandum pertinentibus abhorreant, ac potius omnem amicitiam et communionem cum uicinis gentibus illis interdiciant et praecludant, uel saltim grauiori portorii impendio tum peregrinas merces, tum quoque ipsas adcurrentes alienarum regionum negotiatores repellant aut abigant. Rebus hic ita comparatis parum profecto conmodi publico statui ad meliora adspiranti accedet, optabit potius tempora ex iugo rigidae potestatis deiecto sereniora et magis proficua.

§. VI.

Ex iis uero, quae haecenus dicta sunt, abunde patet,

tet, eam regionem, de quo sibi maxime gratuletur inprimis habere, in qua supremi rerum directores pro sua, qua pollent, circumspectione diligentem patriae habeant rationem sibi que fontes illos ac principia, tum uero modos, adminicula, occasionem aliaque promouendae publicae utilitatis momenta perspecta reddant, quibus cognitis sponte sua ueluti obtemperent et indulgeant. Susque deque enim his a magistratu habitis aliarum rerum a publici conmodi augmento abludentium desideriis seducto, pessum ibit, quidquid prouinciae conseruandae causa praepostere temerarioque ausu suscipitur.

Dammum
eo negle-
cto oriens,

§. VII.

In promptu sunt uariarum rerum publicarum, et antiquo et recentiori aeuo factae emendationes et perfectiones, pariter atque conseruata deliquia, lapsus et ruinae. Quid, quaeso, Heluetiis libertatem suam reddidit, quam conatum suorum pro regionis suae conditione ad unum eum demque finem directio aut determinatio *conf. BILIBALDUS PRICK-HAIMERUS in hist. belli Heluet. Sine dubio montanarum* ibi arcium, quibus tota illa regio fere est referta, et quae horrendo tractu uel nubes ingrediuntur, propter eaque omnem inimicorum tyrannidem eludunt, singularis et ferme propria ratio incolis inter alia recuperandae libertatis ansam olim praebuit. *Monf. STANIAN IR. von dem Zustand der Schweiz Cap. I. recensitus im neuen Bücher Saal XLI. Eröffn. p. 322.* Quid foederato Belgio suam conciliauit felicitatem et splendorem, nisi obseruatio eorum, quae prouinciae suae status conditioque illis obtulit.

Exempla
interesse
publici bene
obserua-
ti.

cit.

cit. STANIAN Cap. IV. Nonne manuarium artium diligentior cultura, tum uero navigationis apud eos perfectio et ad commercium cum aliis gentibus instituendum adplicatio, uel etiam maior tribuum inter operarios uel etiam eruditos libertas, sentiendique licentia, *uid.* tamen *CLARENDONS history of the Ciuili uares*, nec non *VITENBOGARDI hist. eccles. de anno MDCIX.*, ad tantum quo florent hodie diuitiarum et felicitatis Politicæ fastigium eos euexit? *conf. le grand TRESSOR historique et Politique du florissant commerce des Hollandois.* Numquam Portugalliae regnum ab vndequaue obuerfantibus tum clandestinis tum apertis, quibus expositum est, hostibus, adeo tutum permanisset, nisi amica quaedam in publicam salutem obtinendam et protegendam conspiratio inter eius dominii populum et magistratum intercessisset.

§. VIII.

Principis
officium in
excolendis
subdito-
rum inge-
niis,

Quem ad modum uero Principi prorsus incumbit, perspectum regni sui commodum pro re nata promouere, eiusque promouendi curam gerere exquisitissimam, ita quoque per se patet, non minus eum etiam earum rerum, quæ uel directe seu immediate uel mediate aut indirecte ad publicum illud interesse conferre quidquam uiderit, conuenientem spectare merito subministrationem. Si u. c. animaduertat gentem suam sagacioris esse intellectus & ad genuinam uariarum scientiarum expolitionem admodum procliuem, tunc sibi suæque genti peculiarem adquiret laudem, si passim exquisitos constituat et in tradendis earum scientiarum præceptis

ceptis magistros exercitatissimos, eumque in finem diuersa hinc inde feminaria, scholas, academiasque foecundissimas praestantium uirorum exinde succrescentium parentes stabiliat. Ita enim efficiet, ut eo faciliorem in scientiarum artiumque studiis faciant progressionem indiesque maiori eas pernoscendi cupiditate omnes incendantur quotquot ex ingenii sui praestantia ad altiorem doctrinae gradum sponte sua adspirauerint.

§. IX.

Quantum quidem ad litteras artiumque adinet culturam, eam vnus cuiusque gentis aut prouinciae magistratus iure meritoque vrgere et adiuuare conatur. Siquidem augusti principes sunt indiuidui Mineruae comites, honestarum artium sapientiaeque defensores, pulcrum sibi atque honorificum putantes, si illas magis magisque prouehere possunt atque stabilire. *conf. B. HEINECCIUS diff. de iur. princ. circa ciuium stud. §. II.* Quum enim didicisse fideliter artes emolliat mores, nec sinat esse feros, ea certe regio, in qua elegantiores doctrinae in debito splendore et dignitate conseruantur, probioribus prorsus prudentioribusque gaudebit incolis, longo interuallo gentes ex aliis prouinciis oriundas doctrinarum et morum praestantia post se relinquentibus. Exemplo huius rei hodie regnum est Moscouiticum, in quo ex sapientissimo diui sui Petri eiusque successorum consilio tam diuersa nunc rerum omnium facies orta est, ut in locum antiquae ruditatis, ineptitiae, stupiditatis, & imprudentiae hodie vndique follertia, docilitas, prudentia rerumque omnium

Cura Principis in bonas litteras.

B

saga-

facagior omnino aestimatio successerit, eaque regio intra saeculi dimidium longe moratior, probiores intelligentioresque, atque olim fuerunt, produxerit incolas.

§. X.

Vtilitas
bonarum
artium.

Antequam huic capiti finem inponamus, omnibus omnino extollendos esse laudibus existimamus illos magistratus, qui diligenter obseruato publico regionis suae comodo ueluti domestico atque ad eius conseruationem primitus tendente, singularem praeter ea operam dant, vt litterarum solidioresque artium liberalium doctrinae hinc inde in suis terris insigniter efflorescant. Quod enim in corpore anima, id in republica doctrina est, illaeque terrae, in quibus scientiae florent, duobus uident oculis, quum caeterae vno tantum uident aut plane caecutiunt. Ex genuina siquidem bonarum disciplinarum atque alacriori inter iuniores iam tum propagatione, mansuetissima ciuium uita, amabilis conuersatio, utilissimaque et honestissima omnium ordinum consuetudines, & si quae sunt alia, rep. exornantia momenta progrediuntur. Exempla principum illustriora litteras qui promouerunt conlegit *B. HEINECCIUS §. IX. cit. diff.* Breuibus: Sincera industria in optimarum disciplinarum cognitione praeclare conlocata non modo non officit reliquis actionibus, commerciis, negotiis, moliminibusque honestioribus atque proficuis, sed etiam nimium quantum ad eorundem confert perfectionem atque in aduqisita perfectione exoptatam conseruationem.

CAP.

CAP. II.

DE

IURE, LIBERTATE ET OFFICIO
PRINCIPIS SEU MAGISTRATUS IN CON-
MODIS REIP. PER LITTERATOS
PROMOUENDIS.

§. I.

Quum ex praecedentibus abunde constet, prin-
cipem praeter regionis suae commodum aut Connexio
interesse publicum eiusque obseruationem recte,
iuste & laudabiliter culturam doctrinae et littera-
rum pro uiribus merito spectare, maximi momen-
ti ea potest esse quaestio, quam hac dissertatione
nobis uentilanda sumimus: An, quo iure et
qua potestate, quatenus et sub quibus conditioni-
bus princeps possit ius uocandi in litteratos
exercere?

§. II.

Quem admodum uero ex definitionibus exacta
terminorum natura et uerae negotiorum definitio-
nes prodeunt, ita labor, qui in iis ponitur, non est
omnino frustraneus. In iis autem tradendis non
nimis superstitiosi esse debemus, nec integrum an-
num in quadam explicanda consumere, ut de *DUA-
RENO* legitur. *uid. EUM ad tit. D. de iudic.* Inter-
im quorundam Ictorum in definitionibus consti-
tuendis cura non est reprehendenda. Licet defi-
nitionem in iure subministrare, non sit periculo-
sum, ut nonnulli ex L. 202. de V. S. elicere stu-
dent, quando ibi: *Omnem definitionem esse periculo-
sam,*

sam, legitur. Hoc enim non de definitione, genere & forma constantē, sed de regula iuris, quam axioma Logici, Medici aphorismum dicunt, intelligendum. Sit ideo principis, vt summi scopi capitis nostri, sequens definitio: *Princeps est persona maiestate et potestate summa in re publica, quatenus legibus fundamentalibus non repugnat, praedita.* Nobis in praesenti non de principibus Imperii tantum, sed de omnibus, qui in republica quadam eminentiori principum dignitate fulgent, sermo est. Quare, an penes solum Imperatorem sit maiestas, an Imperii etiam principes de ea participant, et, an maiestas in Electoribus demum, an uero in ipsis iam Principibus reperiatur, nostri hic non est vt pluribus disquiramus. In uulgo quidpe pernotum, cuius Principum suo in territorio maiestatem competere. Quae principum maiestas iura complectitur eminentissima, vt leges publici DD. latius persequuntur (§. VI.) summa iurisdictionis territorialis capita. Sicuti autem deus maiestatis primaria est causa, (§. V.) *uid. PROL. VIII. 15. 16. ad ROM. XIII, 1.* ita Principum celsitudo aequae iuris diuini ac humani legibus tantisper est habita, vt uitae necisque arbitri elogio condecorentur. Inde *BODINUS* de rep. IV. 6. p. 433. *Leuissima*, inquit, *in caeteris peccata; in principe flagitia iudicantur.* Et solus principis contemptus mortis subplicio dignus est *CARPZ. Prax. crim. P. II. 9^a. 84. n. 40.*

Princeps
quis?

§. III.

§. III.

Principis autem uocabulum uarios agnoscit significatus, quorum haud paucos inuenire licet apud *LIMN.* in I. P. IV. 2. *BURGOLDENS.* ad I. P. *Osnabr. Monast.* P. I. *Diff.* XX. *membr.* II. *num.* 27. Apud Romanos principis uocula modo *sagatum*, uid. *SALMASIUS de remilit. Rom.* c. XII. modo *togatum*, uid. L. 1. et 2. C. *de princip. agent. in reb.* denotabat. Principis uoce salus innuebatur *tot. tit. D. de consit. princip.* L. un. §. 1. *D. de offic. praef. pract.* Elogio archi-principum Electores insigniuntur *GOLDAST. Proem. in tit. 1. Const. Inp.* Quum itaque uocula princeps Romanis principale seu primarium quid significet, ut legere est apud *COLUMELAM* XI, II. et antiquitus principare idem fuerit ac inperare: Memoratum principis uocabulum omni reliquae dignitati merito esse anteponendum, liquido constat. Inperatores suae dignitatis ornamenta et insignia cum aliis non modo cum priuatis, sed ne magistratibus quidem communicare uoluerunt, ut species seu uestes conchylio tinctas *L. 4. C. de uestib. holober. et auras.* Sic enim *THEODORICUS* Rex apud *CASSIODORUM* L. 1. *Var.* c. 11 *Color*, ait, *nimio lepore uernans, nigredo sanguinea regnantem discernit, dum se conspicuum facit, et praestat humano generi, ne de adpectu principis possit errari.* Peculiaribus etiam adpellationibus et elogiis principes adfandos esse ex *NOU. CXXVI.* adparet. uid. *RADULPH. FORNERIUS rer. quosid.* L. V. c. 30. p. 280. *TO. II.* apud *ILL. EU. OTTONEM* in *Thef. I. R.* Principis uox et adfertio uim legis habet. *L. bene C. de quadrienn.*

Uox principis multi-
plici sensu
uenit.

B 3

praefet.

praeser. In primis autem Statuum Imperii seu principum in Germania maiestas et splendor ex libertate, qua reliquos orbis terrarum principes antecellunt, quam liquidissime patescit. Quae principum libertas duobus potissimum modis sese exserit. Primum, quando illis superioritatem territorialem, quae iura circa res sacras, et profanas comprehendit, competere legimus *Conf. REC. INP. nouiss. et Capitul. Caroli VI. art. X. seqq. Dn. KEMMERICH VII. c. 1. §. 29. Jur. pub. ab EYBEN elect. feud. c. VI. §. 7. et electa iur. pub. TO. V. p. 575.* Tum etiam libertatis et potestatis eorum signum est, quod una cum Imperatore Romano-Germanico coinperium exercent, nec ullum absque eorumdem consensu arduum in imperio geratur negotium. *TITIUS Spec. I. P. VI. c. 8. §. 26. 28. HENNIGES ad I. P. W. p. 2 28. CAPITUL. CAROLI VI. art. XV. XVI. et XX. Grundf. des H. R. Reichs P. II. c. 9. p. 157. OTTO FRISING. de gest. Friderici. I. Lib. II. c. VI. p. 449. Dn. de LUDEWIG. sit. XX. ad A. B.*

§. IV.

Ius principum emittens quid?

Summa autem potestas, seu ius, quod principibus competit, est qualitas moralis iuste quid agendi seu habendi *ERIC. MAURIT. de princip. iur. pub. c. 1.* Siue, est eiusmodi facultas, qua princeps omnia potest, quaecumque uolo modo ad bonum publicum uel finem resp. faciunt. Competit principibus ius territorii, quod, superioritate sublimi et regia iurisdictionis lege concessa, sub nomine et qualitate *der hohen Landes Obrigkeit* acceperunt. Quam in terris suis sum-

summam potestatem Principes Imperii Imperatoris
 adinstar exercent *uid. HULD. ab EYBEN de re-
 gula: Principem et Statum Imperii esse Imperatorem in
 territorio suo.* Nec Imperatoris reservata et Prin-
 cipum potestas territorialis sibi obponuntur, ut il-
 lis haec alteretur. *uid. B. THOMAS. Diss. de iniu-
 sta obpos. superiorit. territ. et reservator. imperator.
 MYLERUS de princip. et statib. imp. Rom. Germ. C.
 XIV. n. 10.* qui dictum proverbium secundum quid
 accipiendum esse adstruit. Ut scilicet illo non
 iura maiestatica seu imperatoria reservata, sed iu-
 ra tantum territorialia seu concessa intelligantur.
 PFEFFING. *Vitriar. illustr. III. tit. 2. p. 258.*
 CULPISIUS ad MONZAMB. P. II. c. 4. §. 27.
 Ad principum porro in Germania dignitatem vel
 hoc accedit, quod olim nemini ducis aut principis
 titulus sit inpositus, nisi qui habuerit ducatum seu
 principatum vel a cuius saltim maioribus certa di-
 ctio sit possessa. FABRIC. *orig. Saxon. III. p. 335.*
 Sic apud THEGANUM §. XXVI. GUELFII du-
 cis respectu ortus et natiuitatis, quia ex nobilissi-
 ma Bauarorum stirpe erat prognatus, sine dubio
 ex stirpe ducali Agilolfingica, mentio iniicitur.
 Intuitu enim ducatus Boici, ut ut sub CAROLO
 M. iam plene subpressi, ducis non gerebat titu-
 lum. Nam olim terrae aut ditionis nomen quis-
 que adsumsit, quam possedit, aut defendit. Qua-
 re bene MULLER *im Staats. Cabin. in der ersten
 Eröffn. p. 26.* adnotat, eum, qui eum principatu
 fit inuestitus, non statim dignitatem principi con-
 petentem accipere. Ideoque inter principem et
 principatus possessorem maximam intercedere dif-
 feren-

ferentiam. Exemplo nobis sit BERTHOLDUS
Zaeringensis, qui ducis titulum ob praetensionem
 sat antiquam in Sueviae ducatum adsumens, bonis
 autem eius, ducis characterem gerendi, parum
 sufficientibus, a plerisque illud legitur. OTTO
 FRISINGENSIS *Lib. I. c. IX. de gest. Friderici I.*

§. V.

Principis
 potestas
 limitata.

Quae summa Principum potestas interdum est
limitata, interdum non *limitata* aut *absoluta*, prout
 superior certis legibus reip. fundamentalibus est
 adstrictus, aut liberrima ei in rep. quadam pote-
 stas absque respectu ad certas leges est concessa.
 Inspecie priori, quando princeps in certa pacta
 uel ipse consensit uel ex antecessorum conventio-
 ne, aut sanctione quadam populari ad illa est obli-
 gatus, tunc eadem quam exacte, ut boni princi-
 pis est, obseruat. Principes quidem a pactis ser-
 uandis astute absoluere conatur L. B. de
 SCHROEDERN *Tract. von der Fürsten Schatz- und*
Rent-Cammer Capit. vom absoluten Fürsten-Recht, ue-
 tulstam satis doctrinam: principum maiestatem im-
 mediate a Deo proficisci, resuscitando. Sic quam
 lepide §. V. d. l. adstruit, capitulationes et recessus
 cum populo initos principes non ligare, sed
 ad titulos: *Si quid ui uel metus causa factum sit sum-
 mas ob necessitates, quibus principes constituti fuerint,*
 haec esse referenda. Cuius uero doctrine mon-
 strum eruditi in iure publico uiri ad nauseam re-
 futarunt Dn. de LUDEWIG *ad A. B. Part. I. p. 25.*
 28. TOM. II. p. 61. 62. Latius hanc in rem dicta
 uide sis in COMMENT Dn. PRAES. *de Iur. Nat.*
 gen.

genuino iur. reliq. parente Cap. II. Sect. I, IV. Dan-
tur hodie, qui contra sana iurium omnium princi-
pia principi ea licere statuunt, quaecumque in sub-
ditorum necem excogitari possint, non ad stabili-
endam in primis principis dignitatem potestatem-
ue eius absolutam, sed vt boni consilarii spartam
sibi demandatam rigide tueantur, et sub specie
fidei principis interesse auaritiam exercendo ci-
uium bonis inhient. Bonus autem princeps, vt
pacta sancte seruat, ita spuris eius modi consiliis
obsequentes non praebet aures, sed publico pro-
spiciens bono consilia eo dirigit, vt publica exinde
salus pronascatur.

Pari ratione princeps boni principis fungietur ^{et abso-}
officio, licet absoluta ei in terras suas competat ^{lata,}
potestas, et nullis plane conventionibus, pactis ac
legibus sit adstrictus, sicque ab omni ordinum in-
perii consensu liber fuerit, eique, vt negocia
publica aequae ac priuata ex uoluntate et pro lubi-
tu dirigat, circa ea quiduis statuatur, et quae ma-
iestatis sunt, liberrime exerceat, absoluta regi-
minis cura sit commissa. Est certe principi in
subditorum bona et uitam aliqua potestas, sed
summo tantum necessitatis casu, et, si utilitati
reip, si flagitiis a facinoroso perpetratis, alio con-
suli modo nequeat. Quo extremo necessi-
tatis telo princeps quidem uti debet, semper ta-
men in id quam sollicitate adtendit, vt, quo fieri
queat, pacto ciuibus eorumque fortunis parcat.
BOECLERUS *ad* GROT. *de I. B. et P. Lib. 1. c. 1.*
Hinc minime inferendum, principem pro lubitu
C et

et ex uoluntate sua in ciuium bona grassari posse, aut liberum et non limitatum ipsi in eos imperium competere, ut eosdem seruorum adinstar castigare, bonis omnibus exuere et denique spoliatis omnibus ultimo mandare subpicio ualeat. Boni principis est prospicere subditorum bonis L. f. C. de relig. et sumt. fun., et quidem adfectu plane paterno B. THOMAS. in iurisprud. indic. VII. p. 45. Quantum ualeat in Republica principis et fortitudo et prudentia: Quanta bona Deus optimus maximus mediante tali principe largiatur Reipublicae! LEHMAN. Chron. Spir. II, 45.

§. VI.

Iuris ma-
iestatici ef-
fectus,

Posta principis seu superioris in rep. potestate et iure eius in subditos maiestatico adparente, ut iuris illius supremi effectus penitus consideremus, restat. Eminent uero in principe inter alia maiestatis iura in primis potestas LEGES ferendi circa sacra et profana. Ex quo fonte profluunt iura leges mutandi easque abrogandi, authentice interpretandi, certas poenas constituendi, de iis dispensandi certaue dandi privilegia. ORD. CAM. P. I. tit. LVII. Imperans, inquit B. GUNDLING Tr. de prudentia civili Cap. IX. §. I. nec intelligitur uinere et agere, nisi loquatur et, quid uelit, significet, hoc est, iubeat ueterque. Quae in legibus ferendis principum potestas tam late processit, ut contra ius etiam commune leges ferre illis sit licitum, quomodo B. THOMAS. Diff. sing. fusius ostendit. Cuius quidem doctrinae LYNCKER Tr. de libert. stat. Imp. Sect. III. m. 2. §. 8. his uerbis sese obponit.

nit: *Abusum esse maximum, quando Principibus tribuatur facultas in territoriis suis libere contra Lus Commune statuendi.* Verum enim uero, quodsi, in Germania perpetuo plus mores, quam ius scriptum quoddam ualuisse, rite perpendimus, Lynckeri adfertio sua sponte cadit. Optimus enim princeps in tantum iuri recepto communi in terris suis inniti patitur, quatenus moribus non repugnat. Atqui princeps legibus et nouis constitutionibus ea regioni comoda parare studet, quae ad statum praesentem iudicat ualde conuenientia. Gaudet etiam princeps HONORES atque DIGNITATES conferendi potestate *B. de COCC. Diff. de potest. Stat. imp. circ. dignit. PFEFFING. ad VITRIAR. TOM. III. p. 227.* Quem ad modum enim magni est momenti prima reip. fundamenta feliciter iacere: Similisita est ratio studii, operae ac laudis, remp. bene constitutam bene conseruare, prout salus communis exigit. Difficillimum autem est, Politiae statum uel aliquo modo administrari posse, nisi consulendi facultate praediti uiri ad huius gubernacula accedant. *CONRING Diff. de boni consiliarii in rep. munere tbes. IIX.* Non principem diuitiis solum oportet esse munitum, sed etiam ministris. Magna negocia magnis semper egent adiutamentis. Quod etiam agnouit *ATHALARICUS* rex Gothorum, quando Tolonico uiro patricio in hunc sensum apud *CASSIODOR. VIII. rescript. IX.* respondet: *Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi reges, et hinc meliores aestimantur, si soli omnia non praesumant.* Ministrorum officialiumque uarii generis in rep. necessitas tam manifesta est ob le-

Resp. litterarum conseruatur.



gum solum modo in ea multitudinem, vt ulteriori non opus sit probatione. *Quantum est*, adposite ICTus, *ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura regere possint.* L. 2. §. 13. D. de O. I. Quis reip. gubernationem, quis publica ordinabit negocia, nisi uirorum in iure instructorum adsit prudentia? CONRING. *Cap. III. de ciuil. prud.* Quam multi principum, Augusto morem gerentes, plurima in rebus publicis egregia ICTorum ope perpetrarunt. Non id quidem negamus ICTum et politicum esse, diuersum inuoluere conceptum, si rem in abstracto consideramus; quando autem in certo quodam subiecto uel, vt scholae loquuntur, in concreto rem inspiciamus; tunc ita alter alteri cohaeret, vt aegre, immo plane non diuelli ab inuicem possit. Verum ICTum habitu politico numquam carere, communi DDrum consensu BOECLERUS ad GROTIUM, nec non MEUIUS in *nucl. I. N. p. 506.* adnotarunt. Nulla certe caussa est alia, cur conlegium ICTorum in sacro Imperio, quod a secretioribus nomen mutuatur, sit constitutum, in quo Maiestas Caesarea casus proponit. REINKING *de R. S. et E. I. 4. 19. 52.* Ea sane legi merentur, quae de ICTorum et Politicorum in rep. necessitate LUD. HUGO *de stat. region. Germ. Cap. vlt. exhibet.* In qua litteratorum a principe facta ad reip. commodum constitutione nullum de praeeinentia, seu sic dicto iure *πρεσβυλας* certamen intercedat. Principis relinquatur arbitrio, quam uelit cuiusuis officii esse normam, honorem, quemque dignitatis gradum. Omnium est publico inuigilare bono et in id summo adniti opere, vt pro-

provincia sibi conlata, sese dignos exhibeant. Perbene hic PUFEND. VIII. c. 4. §. 15. de I. N. G. et C. *Inter priuatos super honore atque eminentia illud pulcherrimum fuerit certamen, quis promtior fuerit in honore deferendo, aut modestior in eodem deprecando.* Cur vero ciues praecedentiae legibus interdum non parent, ostendit *Dn. RECHENBERG Diff. VI. p. 545. et P. II. Diff. 3. p. 59.*

§. VII.

Princeps ideo quaecumque in reip. vtilitatem uergunt, vt eius caput, molitur et agit, sicque, respectu ad emolumentum reip. habito, artifices cuiuscumque artis seu professionis libere et nullis impedimentis obiectis constituit idque mero ex arbitrio nullisque regulis nel conditionibus adstrictus. Nam principi ex iure maiestatico ius circa scientias ac disciplinas competit, quo rerum publicarum splendor conseruetur. *B. Io. Gottl. HEINECC. Lib. II. §. CLXXXI. in Iur. Nat.* Nonnumquam tamen per pacta atque priuilegia in permultis Germaniae prouinciis singularia quaedam quo ad hunc passum esse constituta, bene notat *Dn. MOSER §. 35. Diff. de iur. stat. inper. circa consil.* Prout reip. consentaneum principi esse uidetur, quosuis in sua arte artifices, vt salus publica promoueat, conuocat atque adcerit. Princeps summam in terras suas potestatem exercet (§. IV.) Hoc supremum in rep. ius cum indefessa cura pro ciuitatis eiusdem emolumento est coniunctum. Elucet illud tam in defensione terrarum, principi indissolubili fidelitatis et subiectionis uinculo obstrictarum, quam in cura eius pro salute earum admodum uigilantis. Quod principi

Principi ius
litteratum
uocandi
competit.

pis paternae curae munus in primis in bonarum artium promotione et politiorum litterarum confirmatione redditur conspicuum. Principis est pro utilitate communi publica munera dispertire, virosque eruditione et litteris excellentes variis officiorum generibus exornare. Dn. BOEHMER in I. P. uniu. Part. spec. L. II. c. 6. p. 480. Quoniam uero litterati uocatio uel litteris uel ore perficitur, inde sequentem uocationis definitionem subministrare liceat: *Vocatio est actus, per quem electo siue litteris siue ore tenus electio indicatur.* Conuocat princeps eos, qui reip. firmamenta et ciuitatis feminarum doctrinae ac eruditionis penu conseruant, et, ne boni mores, iustitia, et uirtutum reliquarum fontes vnquam pereant atque exarescant, fundamenta felicitatis liberalium artium introductione et conseruatione firmissime iacet et conroborat. Quantum damni et inpendii eae passae fuerint resp., quas diuturna ignorantiae atque obscuritatis caligo tenuit, quibusque litterarum lux non aduulsit, sed in iis seruilis ingeniorum stupiditas, rustici mores, ignauia, torpor et socordia praeualuerunt, ex historia abunde liquet. Illa infelicitatis tempora non apud exterarum solum gentes, sed in ipsa Germania nostra olim inuenimus. Veteres Germani, gentes bello deditae, animi uirtutem non in bonis litteris excolendis, non in animi dotibus expoliendis, sed belligerantes in bello uirtutem quaerebant et aeterna arbitrabantur gentis bene moratae monumenta, si, quoad uiuerent, fortitudinis suae ederent specimina. Certe Caroli M. adhuc aetate Saxones in litteris ualde rudes erant.

IO.

Vocatio
quid?

IO. GRIPHIAND *de* WEICHBILD. C. XXXVII.
num. 11. 12. Quae litterarum ignorantia tantas
 vndique egit radices, vt monachorum adeo igna-
 uiam, penes quos eruditionis reliquiae praesume-
 bantur, suo etiam aeuo abbas TRITHEMIUS in-
 cuset, quando in chronico Hirsaugiensi uerba in
 hunc modum fluunt: *Hoc aeuum*, inquit, *ignavia*
plenum erat, neque curabant monachi, res gestas ad
notitiam posteritatis perscripta ducere, sed ignaui et
carnales effecti nana et inutilia mundi scētabantur.
Sub abbate VOLAND. 27. anno 1277. p. 255. 294.

§. VIII.

Vocare principem litteris operam nauantes vn-
 decumque terrarum pro reip. suae emolumento
 ex potestate, qua reliquos longe antecellit, seu
 eminentiori, paullo ante uidimus. Generali huic
 specialem adiungimus quaestionem: an nimirum
 princeps eruditum in terris suis natum cum effe-
 ctu uocare, et vt munus demandatum subeat, pla-
 ne cogere possit? In reip. utilitatem ciues ad pu-
 blica quidem obeundi munera cogi posse, non ex
 iure tantum Romano, ut L. 18. C. *de decurion.* L.
 2. §. 1. L. 8. *pr. de uacat. mun. Nou. XV. c. 1.* constat,
 sed politiae cuiusuis status, vt interdum coactio ac-
 cedat, requirere uidetur L. 4. C. *ad L. lul. de ad-
 ult. coero.* L. 1. *de R. I.* Procedere autem hoc non
 ex eo, quod gentilissimum sapit, principio, littera-
 tum ad publicum munus obeundum esse cogend-
 um, quia arctissimo obedientiae uinculo patriae
 sit obstrictus, quodque ea alteram uitae partem si-
 bi uiuicet, sed euenire id, quia saepius recusa-
 tione

An prin-
 ceptus litte-
 ratum in
 terris suis
 natum uo-
 cet inui-
 tum?

sione muneris in patria decorum admodum laeda-
 tur, u. g. si quis singularibus adfectus fuerit bene-
 ficiis, nonnulli statuunt. Inde est, quod littera-
 tum in patria retineri uelint. Cuius rei alii aliam
 rationem adiungunt, quod scilicet ciues sint suae
 debitores reip. eorumque esse publicum promoue-
 re commodum. MEU. *ad ius Lubec. L. I. tit. 1. art.*
6. n. 3. REGN. SIXTIN. de regalib. L. I. c. 13. n.
67. Alii inter dominum et subditum tacite con-
 tractum nideri initum, quod scilicet ciuis ad mu-
 nera, et dominus siue ciuitas ad ipsius defensionem
 obligentur, autumant. GEORG. RITTER
de homag. c. 7. n. 105. Ingrati animi crimen illum
 incurere, qui patriae, quod debet, non persoluerit,
 legimus. Inde PLINIUS L. II. c. 63. H. N. *Ei,*
inquit, eximia propter merita cognomen indidimus ma-
ternae uenerationis. Et CICERO *Lib. 1. c. 17. de*
offic. plurimum gratiae uult patriae tribui. Ast
 salua res est. E patria migrare et ciuitatem unde-
 cumque uelimus constituere, antiquitus iam lici-
 tum habebant Romani. Exinde etiam est, quod
 CICERO pro Balbo huncce in modum sermocine-
 tur: *O, iura praeclara atque diuinitus iam inde a*
principio Romani nominis a maioribus nostris comparata,
ne quis inuitus ciuitatem mutetur, neue in ciuitate ma-
neat inuitus. Haec sunt enim fundamenta firmissimae
 nostrae libertatis, sui quemque iuris & retinendi et di-
 mittendi esse dominum. Sic quoque Ictus in L. 12.
 S. 9. D. *de capt. et postlim.* De sua ciuitate cuique con-
 stituendi facultas libera est. Neque obstant L. 22. S.
 2. D. *ad municip. nec. L. 1. C. de municip. ubi legi-*
 tur: quod domicilium quidem transferre liceat, sed

sed non eo minus, qui transfulerat, municipii sui muneribus obligari. Bene enim hic respondet GROTIUS II. V. 24. de I. P. et P. Quod si, in quos hoc constitutum, manerent intra fines imperii Romani, et ea ipsa constitutio specialem spectaret utilitatem tributariae praestationis caeterorumque munerum, ne in iis semel descriptis confusio oriretur. Quum itaque ex natura et societate, in quam gentes conuerunt, ciuili, imperium in subditis principi quidem competat, exinde tamen bonum principem eos, ut munus obeant publicum obtorto quasi collo cogere non solere, ipsissima loquitur aequitas.

§. IX.

Porro: an princeps ille pro iudicio litteratum de loco in locum seu ex alia in aliam transferre possit stationem, u. c. ex vna ciuitate in alteram, quaestio forsitan mouebitur? Res, quod in utramque disputari possit partem, prima fronte uideatur. Princeps sane, uti pro emolumento suae reip. litteratos tam suae quam alienae prouinciae adferat, eorumque humeris munus inponit publicum: ita ex eadem reip. utilitate in officialium translatione officio boni principis fungitur. Superior enim utilitatem ciuium sic tuetur, ut quaecumque agit, ad eam referat, eleganter scilicet scribit CICERO L. I. XXV. de offic. E contrario litteratus, ut homo liber, ob libertatis suae iura, nec ad munus obeundum, nec ut stationem semel demandatam cum alia inuitus mutet, cogi regulariter solet. Quem ad modum enim superior superior-

Princeps
inuirum de
iure in ali-
um locum
quomodo
transferat?

D

rrioritatis suae iura exercendo debitum obseruare modum, uel quando publicam respicit utilitatem, iura priuati negligere in totum non debet, sed ubi ius exceptionem concedit, *uid. cist. L. 4. C. ad L. iul. de adul. coerc. et L. 1. de R. I.*, eam admittat: pari modo priuatus, proprio studens bono, translationi eius modi, ut inuitus adstipuletur, regulariter non est cogendus. (§. X.) Quod clericum concernit, eum ad translocationem a domino intentatam, si ad praescitum domini superintendentis & ecclesiae uoluntas accedat, cogi posse, responderunt Wittebergenfes apud MATTH. STEPHANI p. 747. *de iur. patronat.* Caeterum, inuita et reluctante conscientia nec eum ad subscriptionem sub poena remotionis et exauertationis urgeri posse, GISB. VOET. *Pol. eccles. L. II. c. 7. §. 2.* defendit.

§. X.

Vocatus
proprium
publico
praefert
conmodo,
et quando?

Similis praecedenti sequens fere est quaestio: quando, an priuatus proprium publico emolumento in uocatione possit praeferre, quaeritur? Adlata specie non inique nos esse facturos arbitramur, si inter clericum et laicum uocatos distinguamus. Clericus certe, uti in officio, quod obit, sacro, ad id potissimum respiciat, quo salus eorum, qui ei sunt demandati, aeterna promoneatur; nec quidquam intermittat, quod scopum infringat bene propositum: ita neuiquam proprium, ne sub ullo quidem integumento, communi praeferre emolumentum ualet. Qua enim fronte, aut quo religionis uel pietatis praetextu factum tale defendat, non est quod uidemus. Certe uocatio, quae ut plurimum,

mum diuina praetenditur, rem dubio omni non exinit, ut potius sat multae lites, an uera eius adfuerint criteria, supermaneat. (§. §. XII. XIII. h.) Laicum si spectes, commune illud quoque bonum publicum, cui nati sumus omnes, grauius ei non minus ob stare uidetur. Quare nec eundem officio renunciare suo semper et pro lubitu posse, sunt qui existimant. Bene autem, opinor, secum uir laicus consideret, et rigorosum ueluti examen instituat, quod, communi emolumento atque proprio vna concurrentibus, eligat optimum. Clericos quidem laicis magis esse religiosos non decet, interim hos prae illis facilius in foro absolui, in quo eorum res uersatur, iuridico, autumamus. Forsan adferrentur circumstantiae, quae Politico seu Icto uel ob familiae uel nominis splendorem uel ob alias rationes ea concederent, quae clericis facile forent abnuenda.

§. XI.

Maiorem adhuc superioribus ea disquisitio: an litterato liberum sit parere uocationi, nec ne, lucem foenerabitur? Dupliciter praesens consideranda uenit quaestio. Altera ex parte, ut ius, quod litterato tanquam homini libero in uocatione uel anplectenda uel detrectanda competit, breuibus, distincte tamen, demonstratur; altera, ut obligatio ea, qua uocationi parere ipsi sit necessum, rite examinatur. Priorem quae adtinent speciem, uir quilibet litteratus libero, quidquid ei e re sua esse uidetur, eligendi arbitrio gaudet.

An litteratus uocationi pareat, necesse sit?

Cuius datum est uitam ita instituere, vt fructus, quem sperat, aliquando eueniat. Quare litterato, animi iudiciiue uires excolenti, ea in primis sit maneatque libertas, ne inuitus in id detrudatur officium, quod nec studiis, nec conatibus, nec commodis suis habet consentaneum. Parui sane sunt, quae obici solent, momenti: Priuati uoluntatem superioris subesse arbitrio; Principem, pro sapientii interesse publici ratione, priuatorum iura iustis includere cancellis. Ast hic non quadrat, quod quidam cum Paulo Apostolo intellectum sub fidei obedientia uelint constrictum. Naturalis potius hominum libertas seruili non submitatur iugo, nec iis uinciatu desperationis uinculis, vt obmutescendo pereat. Plures porro, quibus sententiam conroboremus, leges adducere, factu non opus esse iudicamus, rei ueritate tam liquido adparente. Bonus princeps id, quod reip. expediat, nunquam non peragit, atque patris adinstar omnia in eius confert utilitatem. Quid autem magis commodi, quam libertas reip. adfert, etiam ei, cui ut Monarcha princeps praeest. Illa scilicet libertas, quae effrenatas hominum coercet libidines, libere et absque periculo, de eo, quod iusti et boni est, modeste differens, statui publico multum utilitatis conciliat, nedum illum uacillet ac deteriorem reddat. Quae sobria sentiendi libertas litteratis utique uindicanda est. Litterati equidem uita et bona eodem necessitatis casu supremo reip. domino subsunt, quo reliquorum subditorum: (S. S. XII. XIII.) eorum uero mentes, conatus, desideria, hoc uel illud adpetendi, nec ne, iusta liberta-

bertatis moderatione obseruata, ab omni libera sunt inperio. Exinde est, quod vnice penes eos libertas, an uocationi parere uelint, nec ne, vt plurimum resideat.

§. XII.

Quae insuper obligationem, qua litteratus uocationi se submittat, concernunt, eam alii ex diuina ad studia uocatione interna, alii ex diuina uocatione intuitu clericorum deriuare conantur. De priori multi multos faciunt sermones. Consistit autem ea ex eorum sensu in maximo studium aliquod anplectendi desiderio. Licet uero de diuina non dubitemus prouidentia, quae in rerum humanarum directione singulari modo operatur: criteria tamen, quae plerumque indicantur, tantae non sunt firmitatis, vt generali nitantur certitudine. Huius loci scriptum illud pastoris MART. GREIMII *de sorte eruditiorum inter se conspicua esse uidetur. Recensitum hoc laude iocosa in der gelehrten Fama XXXIV. Theil p. 729. legimus.* De singulari prouidentia circa studiorum directionem in nonnullis gloriantur uiris, quos u. c. insatiabilis studiis incumbendi libido incessit. Sed quis non uidet, plurimum hic educationi esse adscribendum? Immo uaria litteratorum intentio longe aliud ostendit, vt peculiaris Dei prouidentia studium quoddam anplectendi causam non efficiat proximam. Quis Dei uoluntatem tam accurate semper examinat eamque examinare potest? Quis mentis occulta quare studiis multi dant operam, diuinabit? Ad litteras inclinatio, aptitudo et fa-
cul-

Vocatio
interna ad
studia.

cultates, si ea, caeteris remotis, consideres, Dei uoluntatem ex parte patefacere possunt, donec interna accedat confirmatio. Sed quis, quaeso, haec omnia praeponderat? Illud non est, quod negamus, Deum cuncta certum in finem ex prudentia dirigere sapientissima, et hac uel illa hominem fortuna donare: An uero diuina interna uocatio expresse exinde elicienda sit, id est, de quo admodum dubitatur.

§. XIII.

Clerico-
rum uoca-
tio diuina,
et quid sit?

Vocationem ad munus ecclesiasticum diuinam clerici communiter praetendunt. Eam uero ex mente Theologorum ita definimus, quod sit *inter-
na summi Numinis ad sacrum officium inuitatio, quae
partim exactissima, partim inexplicabili erga ministeri-
um propensione et desiderio, et ex donorum ad munus il-
lud idoneorum conlatione clare cognoscitur.* GIBB.
VOETIUS. *Polit. eccles. P. II. Lib. 3. c. 1. p. 530.*
Ut eam uero admittamus, praegnans omnino
caussa subesse debet. Inter quas primum obtine-
re locum merito autumant liquiditatem uocationis
diuinae, cui, quodsi adfuerit, profecto haud erit
repugnandum. Verum liquiditas illa multis est
obnoxia difficultatibus. Olim uocationis diuinae
liquiditas praesto erat. Hodie uero, quo illa qua-
licumque modo demonstrari posset, excogitata est
uocationis diuinae distinctio in *mediatam* et *inmedia-
tam*, quam quoque ex mente ACTOR. XX, 28. pro
diuina agnoscunt IO. BENED. CARPZ. *ad lib. symb. p.*
423. GERHARD TOM. VI. *loc. Theolog. §. 83. p. 125.*
Diffentit WEIGELIUS *Part. I. postill. p. 44. Part. II.*
p. 31.

p. 31. 36. 106. et *Part. III. p. 60.* Varias diuisiones exhibet IO. BRUNNEM. *in lur. eccles. L. 1. c. 5. §. 1.*, ubi memoratam uocationis diuinæ distinctionem in *internam* et *externam*, hanc in *extraordinariam* et *ordinariam* a nonnullis diuidi, ostendit. *Conf. FRIDEM. BECHMAN instit. Tobolog. P. III. Loc. XI. §. 7. p. 601.* ubi etiam Catholicorum obiectiones, quod ad solum scilicet episcopum uocationis criterium spectet, refutat. Adsumemus ad tempus primo memoratam distinctionem, vt cum propugnatoribus laudatæ liquiditatis in hodiernis uocationibus diuinis loquamur, nosque inuicem intellegamus. Nempe anbabus, quod uulgo dicitur, largimur manibus, immediate olim ecclesiæ ministros a Deo uocatos esse, exempla enim in S. Scriptura passim occurrunt luculentissima. Quis e. g. vmquam negauerit Mosis, Iosuae, Sauli, Davidis, Eliae, Elisae, Iesaiæ, aliorumque V. T. prophetarum, tum uero discipulorum Christi, deinde Pauli caeterorumque Apostolorum uocationem aut missionem fuisse uere diuinam. Erat immediata adeoque liquidissima. Ast in hodiernis ecclesiæ ministris tanta non est, quanta olim fuit uocationis diuinæ liquiditas. Immediata certe non est. Eam hodie cessare, late FEURBORNIUS *Fascic. VI. Disp. II. §. 75. p. 922.* nec non FRID. BALDUINUS *in casib. conf. p. 756.* perhibet. Porro, hodie Deum non immediate quemquam uocare, ex tribus potissimum rationibus probari potest. 1.) quod Apostoli immediate ipsi a Christo uocati non expectarint nouorum apostolorum immediatam uocationem, sed ipsimet auctoritate et consensu eccle-

ecclesiae constituerint presbyteros et ecclesiae ministros ACT. XIV, 23. 2.) quod nulla Dei in nouo foedere de uocatione immediata adfit promissio, bene autem contrarium ex EPHES. V, 11. adpareat. 3.) quod Deus certam semel ecclesiae formam per Apostolum I. TIM. III, 2. *seq.* TIT. I, 6. *seq.* praescripserit, quo modo et quales ministri ecclesiae sint praeficiendi. Iis uero, qui de uocatione immediata sibi gloriantur, FRID. BECHMAN. §. 6. p. 35. *de casib. conscient.*, criteria ab iis adducta reiciendo, quam erudite obuenit. *Mediatam* uocationem cum immediata eiusdem esse ualoris, dignitatis, auctoritatis praetenderunt ipso quidem illo termino ante dicto, significationem tamen diuinae uocationis mirifice alienante. Quum enim negare haud possent, Deum hodie neque per singularem uisionem, aut adloquutionem, neque per somnia, neque per prophetas, aut uiros a spiritu sancto apertissime inspiratos in ecclesia sua iam tum plantata quidquam inmediate amplius constituere, sed omnia in illa fieri arbitris hominum, communi et aeterna Dei prouidentia agentium, diuinam quidem etiamnum adpellandam consueuerunt ministrorum ecclesiae uocationem, at *mediatam*. Et, licet ea sit iuris diuini, *modus* tamen uocandi est iuris positui, isque nec in primitiua ecclesia, nec in nostris ecclesiis semper uniuersalis fuit, sed pro locorum consuetudine uariat. COTHM. *Conf. academ.* XLII. Id quod etiam patet ex responso Facultatis Theolog. et Iurid. Ienensis apud DN. FRID. GOTT. STRUU. *introd. ad prax. iur. Can.* p. 253.

§. XIV.

Liquiditatem porro diuinae uocationis in hodiernis ecclesiae ministris ex duobus praecipue capitibus fluere diiudicandamque uenire, palam est; adferant alia, si forte placuerit. Duo etiam criteria IO. FRID. MEYER *in mus. ministr. eccles.* p. 28-39. agnoscit; utputa *amorem summum* erga sacram theologiam, nec non *habilitatem* et aptitudinem ad diuinius studiorum genus, tum uero etiam sufficientis eruditionis ac donorum ad ministerium uerbi et sacras litteras docendas necessarium possessionem. Duo, inquam, sunt capita, ex quibus uel per coniecturas uocationis diuinae liquiditatem eruere conamur. Alterum est *ecclesiae uoluntas* seu *electio*, hoc est, suffragia ex ecclesiae membrorum consensu conlecta, alterum *propria et interna* quaedam in ministro ecclesiae recens uocato *persuasio*, mentem eius ueluti trahens et rapiens ad hanc uel illam spartam ecclesiasticam adeoque et ad loci mutationem. Prius referunt tum ad plebis consensum seu inpetum, tum ad consistoria, tum ad theologos uicinos, tum ad synodale iudicium, tum ad patronos, tum ad principem seu summum episcopum, qui omnes, quum sint homines, prouidentiae diuinae quidem ductu uaria negocia suscipientes, uerum diuinae uoluntatis obsequio neutiquam ita mancipati, ut nullis ymquam incitamentis humanis et instinctibus carnalibus locum relinquunt, facile manifestum esse uidetur, quod ex hoc quidem capite admodum uacillet dicta uocationis diuinae in hodiernis

E nis

Vocatio
diuina du-
plici ratio-
ne conside-
ratur

nis ecclesiae ministris liquiditas. DEDECKEN.
Vol. II. et GISB. VOET. polis. eccles. passim.
 Interim ex adferro simul diuinæ prouidentiae fun-
 damento haud prorsus omnem capiti huic diuini-
 tatem certo respectu et sub certis circumstantiis
 denegandam uelimus. Sic de ANT. WALAEO
auctor uitar. select. p. 605. *Lond.* adfert, quod stra-
 mini de nocte cum patre in tentorio incubans sa-
 cro quodam instinctu se ad ministerium ecclesiae
 Dei uocari perceperit, cuius etiam instinctus tan-
 ta fuerit uis et efficacia, ut nulla dies, nullae oc-
 cupationes eius unquam potuerint memoriam de-
 lere. Romano-Catholici uocationem internam
 siue diuinam ad praelati uoluntatem eiusque iudi-
 cium referunt. Sic enim YUO CARNOTEN-
 SIS *epist.* CCXIII. *Nullis ad sacros ordines sunt pro-*
mouendi, nisi quos uita et doctrina et episcopalis aucto-
ritas ad hoc agendum idoneos probat. Et concilium
 TRIDENT. *sess.* XXIII, c. 16. *de reformat. ex-*
presse constituit: Nullum ordinari debere, qui episcopi
sui iudicio non sit utilis aut necessarius ecclesiae. BEL-
 LARM. L. I. *de cleric. Cap. II.* ANDR. FABRIT.
animad. ad P. I. art. XV. de ordin. eccles. Quidam
 quoque ex Reformatis Belgicis solis episcopis pot-
 estatem uocandi ministros ecclesiae, principe ex-
 cluso, tribuunt. REUIUS *in exam. Diss.* WEDE-
 LII et TRIGLANDUS *Diss. theolog. de cin. et eccles.*
postestate contra Wedelium. Nostrates docent,
 uocationem eiusmodi ministrorum toti ecclesiae et
 omnibus tribus hierarchicis statibus competere
 GERHARD *To. VI. loc. theolog. §. 86. p. 132.*
 MENZER *in exeg. p. 643.* Posterius hodiernae
 uoca-

uocationis diuinae caput, quando nimirum minister ecclesiae interna, immo haud raro etiam externa quadam persuasione ductus credit, se ad hanc uel illam ecclesiam specialem esse diuinitus uocatum, imaginationibus plerumque potius et simplici sanctitate ac philautia spiritali, quam genuinis spiritus sancti instinctibus, reuelationi et mandato diuino alioquin aequipollentibus nititur, neutiquam *επίσημον* liquiditatis in uocatione diuina dici meretur, quid quod, quum nemo a se quidemquam humani alienum putare debeat, uanitatem citius, quam liquiditatem uerae uocationis diuinae concipiendam offert. Referendae huc esse uidentur duae illae falsae persuasiones, altera scilicet, qua propheta quidam, cuius in I. REG. XIII. fit mentio, ab alio propheta secundum simulatum Dei mandatum permotus fuerat, ut contra clarum sibi datum Dei praeceptum ad illum diuertiret cumque illo ederet ac biberet, cuius inobedientiae postea poenam luebat. Altera, qua integra prophetarum caterua per mendacem spiritum fuerat incitata, ut regi Israelitarum Achabo bellum contra Assyrios paraturo uictoriam auguraretur, quae post ea in extremam cladem fuit conuersa. Adposite hanc in rem Papa *Cap. 10. X. uers. uerum si propter, de renunciat. Tu, inquit, quo modo scis, quod talis inspiratio sit coelestis?*

S. XV.

Criteria denique uocationis diuinae B. RAM-
BACH *im Hef. Heb. Opffer P. IV. obs. VIII.* expo-
nere tentat, quando ad tria respiciendum esse
monet.

monet. 1.) ad uocantem 2.) ad uocatum 3.) ad
 utrumque munus, scilicet tam uetus, quo huc
 usque functus, quam recens, cui praeficiendus est,
 quaeque adeo per eius modi uocationem conmutantur.
 Quae requisita uariis exornat adnotationibus.
 Adiunctum est his criteriis Theologi cuiusdam
 consilium theologicum. Nonnemo scilicet uocationem
 sibi aliorum factam pro diuina uenditabat.
 Cuius uero diuinae uocationis criteria superioris
 iussu a theologo quodam singulari examinata
 sunt responso, quod in MSpto perlustrare nobis
 ab amico fuit permissum. Caeterum, digna ut
 adponantur iudicamus, quae LUD. DUNTE
in casib. consc. p. 66. scribit: *Si conscientia,*
inquit, tua oblatam uocationem indicat diuinam,
auktor tibi nunquam sum, ut eam detrectes: In eo uero si
fluctuas, periculosum erit ecclesiam tuam deserere.
 Vocationi esse obtemperandum, ne in idem, quo
 Ionas, Ninive abire nolentis, uitium delabamur,
 citatus auctor suadet. Porro adhaec, ob honoris
 et diuitiarum ampliacionem multas declinari uoca-
 tiones. Quare tutissimum existimat, ut clericus
 in eo, quo semel constitutus est, loco, remaneat,
 quidpe quae uocatio sit diuina, altera, an sit di-
 uina, ualde dubia existente, arg. I. Cor. VII.
 De uocatione sua B. LUTHERUS *To. II. Isleb.*
 p. 223. ita. *Ich habe das Predige-Amt nicht angenom-*
men aus eigener Wahl oder Durst, sondern ich habe das
Zeugniss, dass ich beruffen bin und zum Predige-Amt
erforderet und erbeten. Ich predige auf Befehl und an-
derer Geheiss, sonst predige der Teuffel. Quum uero
 admodum dubia sit hodie diuinae uocationis in mi-
 nistris

nistris ecclesiae liquiditas, haud incongruum esse arbitramur, vt ecclesiae minister, nisi forte antea pactum de statione sua non mutanda (§. XIX.) inierit, a translatione seu loci mutatione numquam abhorreat, et ex diuerso locum suum quotiescumque occasionem anplecti lubuerit, cum alio bene possit conmutare. Caetera optimi apud Protestantes est instituti, ne ministri ecclesiae, aliorum uocati, de uocatione sua ipsimet iudicent, vtrum diuina sit, nec ne, sed Consistorium suum hac dere ferat iudicium. ILL. BOEHMER *Lib. I. Tit. VII. §. VII. inst. iur. can.*

§. XVI.

An principi in litteratum alibi uocatum ius retinendi competat, diuersimode disputatur? Principi hoc ius adtribuentes varia, quo illud superiori adseribant, obstacula obiiciunt. Non minimi sane periculi reip. imminere clamitant, si litteratus arcanorum domini gnarus aliorum uocatus e muneris sui nexu pro lubitio dimitteretur. Humanae uoluntatis in promptu exempla exstare, quod officialis eius modi dimissus in damnum principis maximum arcana ueteris domini prodiderit. Sed quis, quaeso, ab vno malo ad omnes eruditione praeclaros uiros ita concludat! Fac, sic accidisse, ideo non quibus litteratorum nomen proditoris merebitur. Et, quis poterit vquam tuto sibi prospicere dominus, ne officialis, in officio inuitus remanens, in domini detrimentum uel ore uel litteris quid agat perpetretque, in primis si dominus ei uiam altius emergendi, uocatione subpres-

An princeps litteratum alibi uocatum de iure retineat?

sa, praecluserit? Modo dicunt, principem litteratos aliorum uocatos de iure retinere, ubi salus publica eorum secessu periclitetur. Sed non ini- que nos esse facturos autumamus, si uix ac ne uix quidem tantae eruditionis et tanti incrementi rei- publicae fulcrum existere credamus, cuius scilicet secessu lethiferum quasi reip. uulnus inferatur, summa imis confundantur, et tota ueluti ciuitatis machina subuertatur. Quare multa de detrimento uiri litterati discessu, reip. timendo, confabulantium obiectio parui profecto est momenti. Nam, uti in praecedentibus fuit demonstratum, priuatorum comoda id, quod publicae est utilitatis non tam arctissime includere, ut liberum ius priuati seruile sentiat inconmodum: hinc nemo principum hoc de iure, nisi aliae accedant circumstantiae, sibi sumit, ut litteratum alibi uocatum in potestate sua inuitum retineat. (§. IX. X.) Quodsi hoc faceret, artes, a libertate dictae liberales, non tam frequentes inuenirent amatores. Litteratum nihil seruile, nihil quod cum coactione est coniunctum, decet. Sicuti animi eorum sensus sint liberi, fomes praeiudiciorum extinctus omnis: ita iugum absoluti imperii rigida ceruice ferre recusant. Modo denique ius retinendi litteratum quidam urgent, si scilicet princeps easdem conditiones, quas alibi promissas accepit, siue honores respicias siue honorarium, adimplere promitteret. Seruum, si amplius seruitium subire uelit, ut pristino potius seruiat domino, quibusdam in locis cogi posse, ueritati respondet. Ast longe aliter circa litteratum rem sese habere, nemo

non uidet. Illud certum est, quodsi litteratus, in pristino remanere abnuens officio, altiori tamen principis ui retineatur, ipsum quoque saepius dominum tantum inpendii ac damni sentire, vt discessu ei non intercluso, sibi ipsi suisque rebus melius consulisset. Verissima ideo ueritas manet, quod quibus litteratorum, nec gentium, nec quodam ciuili iure positino, nisi glebae sit additus, aut reuersales de non abeundo dederit, inuitus a domino retineatur. Germani prae reliquis, licet inuito abeant domino, praerogatiua gaudent insigniori. Quam discedendi libertatem neruose expressam inuenimus in FABRI *Staats. Canzl.* TOM. XLIX. de anno. 1733. p. 461. uerbis insequentibus: *Das freye Wegziehen der Unterthanen in Teutschland gehöre zur alten teutschen Freyheit, in Ansehung derer, so nicht leibeigen sind.* Quapropter, sicuti princeps officialem libere dimittit, ita officialis etiam libere abit, et contractum, quem cum domino inuit, soluit. Quod enim cum domino pactum pepigit, illud certe non est perpetuum. HERT. in PAROEM. *Herren Dienste sind keine Eben.* I. III. p. 606. MEU. P. II. Dec. 12. Regulariter in officialium instructione siue norma officii consiliariis praescripta *der Bestallung* formula addi solet ea, quae aequae domino ac officiali pro lege est, vt uterque a contractu inuito, tempore prius indicto, saluis tamen: exceptionibus, recedere queat, ita vt princeps officialem libere dimittat, officialis, vt libere discedat. Antequam uero litteratus alibi uocatus abeat, modeste petat dimissionem, nec in domini contemptum insalutato quasi hospite abeat.

abeat. MEU. *Part. V. Dec. XXVI.* E contrario dominus absque ignominia officialem dimittat innocentem, ne iustae ei sint querelae. Interim non vna est DDrum sententia, an scilicet officialis dimissio ad merum principis arbitrium sit referenda? Clericorum officia uolunt esse perpetua ESPEN p. 496. §. 19. CORUIN. *de benef. eccles.* In primis hisce nituntur uerbis: *quemuis, in qua uocatione uocatus est, debere permanere.* i. CORINTH. VII. Idem de laicorum officialium muneribus BODINUS *de rep.* IV, 14. SCHILT. *Exerc.* XXXVII. *thes.* 144. KLOCK. I. *conf.* XXXII. LYNCKER *Vol. I. resp.* XLIX. n. 29. sentiunt. Cum iis facit ius Canonicum, quod beneficium principis uult esse perpetuum C. *debet. de Reg. iur. in 6.* et ius Ciuile in L. 12. §. 17. *ad municip.* L. 12. 17. C. *de dignit.* At arbitriariam domino circa officiales dimissionem concedunt non insequentes tantum Icti, ut BESOLDUS *uoc. Dienst.* BERGER *resp.* CCC. MEUIUS et HERT. *citt. loc.*, sed praxis etiam Germaniae recentior. Sic MAXIMILIANUS HENRICUS Elector Colonienfis anno 1682. *Ieder Fürst könne dem Befinden nach Dienen ein und absetzen.*

§. XVII.

Litteratus, solo titulo absque salario insignis aliorum uocatus non est detinendus?

Neque litteratus aliorum uocatus, qui solo titulo haecenus et absque quidem salario fuit, insignitus, a priori magistratu de iure detinetur. Neque retentori principi non liberrimus solum litterati, quorsumcumque locorum abire uelit discessus obstat, sed communis etiam aequitas, ut honeste

neste uiuendi et conmodo suo prospiciendi quibus
 rationem habeat, requirit. Quare princeps nec
 sub publico interesse titulo, nec quod titulus ar-
 canorum eius gnarus sit, nec alio quocumque mo-
 do ius retinendi in eum exercet. Accedit, quod
 summae sit iniquitatis, eum, non omni solum pri-
 uare honores adipiscendi altiores occasione, sed ea
 ipsi quoque bona auferre, quibus uitam honeste cum
 suis degere et membrum reip. agere possit utilif-
 simum. Quantum prater ea damni uiolenta litte-
 rati, titulo absque tamen uitulo, ut uulgus dicit,
 coruscantis retentio ipsi etiam principi adferat,
 liquido patescit. Omnes certe, qui bonis litteris
 operam dant, regionem in retinendo erudito tam
 auaram fugiunt, et fortunae sedem ibi potius con-
 locant, ubi dulciter et quiete doctorum libertas
 efflorescit. Inde porro accidit, ut eius modi
 terra, doctis, quorum abitus fuit praeterclusus,
 uita aliquando defunctis, iis postmodum abundet
 hominibus, quos orbis eruditus ludibrio ac risui
 exponit et ut ignorantiae monstra publico offert
 spectaculo. Ad sunt, qui superiorem iuste ac le-
 gitime ius in litteratis retinendis exercere, existi-
 mant, si eis tantum exhibeat honoris et faculta-
 tum, quantum ab alio magistratu ipsis fuerit pro-
 missum. Sed non est, quod eorum sententiae cal-
 culum adiiciamus. Hac enim ratione litterati
 libera abundi uoluntas multum sentiet inconmo-
 di. Optimus princeps, cui litterarum incre-
 mentum, doctorum amor et terrarum suarum
 felicitas curae cordique est, neminem inuitum
 detinet nisi potestatis atque imperii, quibus priuatos

F

an-

antecellit. Quodsi ideo litteratus et principis mit-
tissimi clementiam et singularem plane in se gra-
tiam ex apertissimis rerum argumentis cognoscit,
potius remanendi quam discedendi uoluptate in-
cendetur, ac animo tranquillo suas ei praestabit
operas, quem, ut se suaque protegat omnia, ha-
bet propensissimum.

§. XVIII.

An littera-
tus ad ho-
stes uoca-
tus resine-
atur?

Magna magnos inter haud raro inuidia domina-
tur, ne dicam inimicitia atque hostilitas. Fontes
earum uarii nascuntur, earundemque multae
dantur origines. Modo principem regiones alie-
nas occupandi, terrasque suas dilatandi libido sub-
bit, modo lites prinatae magni sane momenti in-
ter superiores exoriuntur. Inde principum dis-
sensus, inde uoluntas contraria. Vterque do-
minorum prudentissimus eos, a quibus consilia
petat saluberrima, sibi ministros adiungit. Cuius
rei gratia in tempore de uiris eruditione conspi-
cuis sibi potentum quilibet prospicit. Saepius,
uel parua inter illum eiusque parem inuidia gli-
scente, litteratus ibi euocatur, ubi principis con-
modo ac utilitati non multum fauetur. An idcir-
co litteratus, in alienas terras uocatus, cum pri-
stino domino non bene conspirantes, retineri pos-
sit, quaeritur? Si principales, quae inter eas in-
tercedunt, discordias perpendimus, princeps uo-
luntati conmodoque suo studens litterati secessum
interdum inpediat. E contrario iuribus, quae
litterato minime deneganda, libertatis et arbitrii
sui altius perpensis, talem nonnumquam iniuste
heri

fieri retentionem, adstruere non dubitamus. Multi vt hic simus in praecedentibus praecoccupata non permittunt, litterati libertate discedendi debitis iam iam vindicata argumentis. Formetur autem species: an litteratus, si ab inperii hoste uocatus fuerit, retineriqueat? Qua specie adlata quidam inter subditos et uasallos, quidam an subditi simul sint uasallitica fide obstricti, distinguunt. Vasallum ab hoste ne uocari quidem cum effectu posse, multo minus uocatum transire uel ex eo inferunt, quia uasallus fide maxima prae reliquis domino sit addictus. Et hoc interdictum non de inperii hoste, sed de domini hostibus generatim intelligunt. Subditum homagii uinculo firmissime constrictum sine distinctione ad domini territorialis hostes nullo unquam pacto transire. Sed quis non uidet, litteratum, dum dimissionem muneris petit, nec ad subditum, nec ad uasallum referri. Si itaque domini forsitan in pensis eruditionem litteratus antea subditus sibi comparauerit, posset utique dubitatio exoriri, an licite transeat? De caetero, si eruditus ad communes Inperii hostes, ut Turcam etc. uocetur, certoque constet, eum in patriae necem fouere consilia, transitum eius quam iustissime interdici, numquam inficias ibimus.

§. XIX.

Pacta esse seruanda, iuris est communissimi. *Uid.* Litteratus aliorum uocatus pacto de non discedendo obediatis, *Uid.* D. et C. de pact. Pacta non ex lege tantum, sed ex uoluntate etiam obligare, GROTIUS de I. B. et P. II. c. II. §. 1. exhibet, et ut seruentur Iuri Nat.

Nat. conuenit. Siue ideo certum in tempus, siue in perpetuum, datis ad haec de numquam discedendo reuersalibus, litteratus domino operas suas promiserit, promissis utique standum esse, quis unquam neget? Illa specie, si tempus fuerit praeterlapsum, litteratus libere abit. Non hic enim uindictio ut in seruis et glebae adscriptis institui debet, nec litteratus ad similitudinem eius, qui artes exercet manuaras, potest retineri. Specie posteriori, contractus, semel rite initus, debite seruetur. Iuribus et priuilegis suis quemuis iuste renunciare posse, iuris est indubitati L. 14. §. 9. de aedil. edict. L. 63. de euict. L. 1. §. qui semel. de success. edict. BERLICH Concl. XXII. n. 68. Renunciatio autem iuris est strictissimi, et quae in ea non sunt expressa, in ea non continentur PHILIPPI Conf. CCCCLII. n. 21. et Conf. IV. LX. n. 6. Fingat, excogitet tali ratione uinctus species, quas modo uelit, ne flocci quidquam artibus astute excogitatis proficiet. Quam stolidum ideo ii opus moliantur, qui nouam plane mentiendo uocationem, uel in totum a pacti sui uinculo sese liberari, uel lautiozem se adipisci pactorum conditionem, arbitrantur. Hi non ludibrio aliorum, re melius conperta, se exponunt, sed digna caeteroquin adficiendi sunt, quae fraudem sequitur, poena. Incurrunt uani homines eius modi secundum leges Rom. crimen *stellionatus*, et usu fori crimen *falsae* committunt. Sunt tamen quaedam, ut litteratus ad promissa implenda non tam rigoroze teneatur, exceptiones admittendae. Harum praecipua sit ea, quando princeps, quae dedit promissa, ipse non

non seruat. Quorsum referes, si litterato quoad honores, comoda, salarium et sportulas damnum inferatur. Princeps ad pacta seruanda vt priuatus tenetur alius; quare, si eius modi quid litterato accidat absque eius culpa, pacto solutus uocationem adripiatoblatam, nec de iure est retinendus. Sic principem, alieni officium cum promissione de non instituendo simili officio conferentem, plane ad promissi obseruationem teneri, communis legitur DDrum sententia, ex eo quidem fundamento, quia princeps contractum obseruet. *arg. L. digna nox C. de leg. TAPIA ad L. f. c. 9. n. 5. P. II. de constit. princ.* In contractibus princeps iure priuatorum utitur C. I. X. *de probat. MYL. ab EHRENB. byparcb. c. VI. p. 318.* Vnde nihil impedit, quo minus, si ea, quae litterato sunt promissa, quoad honorem ac utilitatem, seruentur, simile princeps priori officium denuo constituat. Agit certe princeps, licet ex arbitrio suo, tamen etiam de iure, quum sit in sua prouincia officiorum uti conseruator et remunerator, ita et quoad numerum tum subiectorum tum officiorum auctor atque gubernator. Denique uocationem, quam dicunt diuinam, Theologi saepius et hic in medium producant et specie sanctitatis adsumta Deo quasi uocanti morem esse gerendum, a pacto semel inito se liberare adlaborant. Quum uero hodie celebris uocatio illa, quidquid excogitur distinctionis, ualde dubia reddatur, *uid. S. XII - XIV. supr.*, princeps eiusmodi theologum, qui uocationem adesse diuinam forte simulet, ad reuersales, quas dedit, merito remittit. *conf.*

AHASU. FRITSCH *Tr. de reuerfal.*, et inprimis
Cap. V. n. 2. vbi latius de ministrorum ecclesiae re-
uerfalibus.

§. XX.

De litera-
 ei magi-
 stratum
 per in iure
 cum ad
 dimissio-
 nem co-
 gentis,
 poena.

Quem ad modum autem officiali, quamdiu ex officio suo non est dimissus, vt domini sui mandata rite obseruet et munus creditum omni exsequatur fidelitate, vtique incumbit: ita, si deinde forsan detrectatio dimissionis suae intercedat, nihilosecius modeste posthac semper erga dominum se gerat, officiique, quod ei olim demandatum est, limites neutiquam excedat, quod fieri alioqui posset vel contra illud agendo vel illud in domini praeiudicium eiusue damnum negligendo. Fides enim, quam domino de fideliter officio administrando dedit, non prius soluitur, quam dominus eum dimisit. Neque obstat: quem dominus retinet inuitum, illum secundum legem officii non amplius obligari. Petiit quidem officialis expresse a domino vt dimittatur, quodsi uero illud non obtineat, minime mala agendo contra dominum sit intentus, sed vt bona cum gratia quoad eius fieri potest, et sub honestissimo excusationis titulo abeat, adlaboret. Quare, si officialis, cui a principe abitus est interdictus, ita se gerat, vt ferme non sit tolerandus, digna adficiendus est poena. Ponamus speciem, si u. c. litteratus officialis scripta vel contra principis iura impingentia, uel quae arcana domus patefaciunt, uel denique ea, quae reip. alterant statum, publici iuris faciat, pro delicti admissione merito poenam sentiat. Cogitare quid-

quidquid cupimus liberum est. Criminum horridissima et maxima nobis in cogitationibus repraesentare licet. Nostrae autem potestatis non est, ea patefacere, quae cogitamus. Quodsi hoc esset permixtum, civilis undique laederetur societatis vinculum. Cogitationis quoque poenam non puniisse Romanos, ex illorum edicto: QUOD QUISQUE IURIS etc. adparet. Nam effectum requirebant. *uid. CUIAC. obs. Lib. VIII, Cap. XXII.* Legum ratio est, ea, quae quisque faciat, nec ne, cuius exhibere. Quoduis igitur membrum reip. ad eas observandas tenetur, et communi obsequio legis necessitati pareat, necesse est. Si nolit, et cogitationes, quarum poenam alias nemo patitur, soli obliuioni tradere aut arctioribus iudicii prudentis limitibus includere recuset, sed absque necessitate cum hominibus, quibus nihil emolumenti exinde accedit, pertinaciter communicet, principi liberum est, eas tanquam publico noxias reicere, silentiumque earum auctori inponere. Quae cautio prudentissima originem ex arte politica mutuatur. Nec contra aequitatis regulam impingit, quae hominis mentem in et coactioni esse obnoxiam prohibet. Nec contra prudentiam peccatur, siquidem ex falsae sententiae obpressione statui publico quod iminebat damni, remouetur, et ne uirulenta eius principia latius grassentur latinsque serpent opiones, quae falsas noxiasque fouerint conclusiones, tutissime impeditur. Quapropter superior, quem maiestas in reip. distinguit, doctorum uirorum cogitationes, simulac in lucem prodierunt,

runt, interdum quam prudentissime damnat, confiscationem adhibet, ne forsan reip. quies turbetur, damnum certe metuendum et plura incommoda alia euitentur ac in prima origine partus tollatur. Neque tamen princeps in eo laboret necesse est, vt scilicet ciues internae etiam honestati conuenienter uiuant, quale quid ALESIVS, Theologus Lipsiensis, referente GUNDLINGIO *Diff. maiorem a feminis, quam a uiris, requirente castitatem* §. IV. p. 14. defendere conatur.

§. XXI.

Litteratus
beneficiis
adfectus
abiens,

Ius litteratum aliorum uocatum retinendi magistratui in primis competere, si multis ab eo beneficiis fuerit mactatus, quidam adferunt. Prouocant, quo argumentum stabiliunt, inter alia ad L. 15. D. *de cond. instit.*, ubi legimus, quod, *quae facta laedunt pietatem, existimationem, uerecundiam nostram, et contra bonos mores fiunt, nec facere nos credendum sit.* Exhinc inferunt, quod eiusmodi litteratus a principe discedere saluo iure nequeat, nec causam, cur retineatur, de qua conueneratur, habeat. Nunc non negamus quidem litteratum eius modi, qui discessum molitur et praemius onustus est, contra regulas decori aliquatenus impingere. Quodsi uero insimul perpendimus, decorum non operari iuris titulum, vt adsit moralis facultas ad officium quoddam aliquem cogendi: litterato abitu nec hac in specie esse praeccludendum, statuimus. Ex eodem facultatis moralis genere societatis, amicitiae et decori auxilia petuntur; ideoque est, quod gens a gente aequitatis

tatis et ciuilitatis officia pactis expressis uel tacitis sibi stipuletur atque adquirat. Quo facto id, quod meri fuit decori, titulum iuris induit ex ui pactorum mutuo consensu initorum. Quapropter inter id quod decori et iuris est distinctione adhibita, an princeps in litteratum ius retinendi legitime exerceat, lis erit decidenda? WILDUOGELL *Diff. de eo quod iustum est, sed non decorum.* STRIK. *Diff. de iure liciti, sed non honesti.* Caetera, nisi aliae, quae litterato abitum suadent, circumstantiae, u. c. successoris inimicitia, stationis futurae meliorationes accedant insigniores, nec ipse de mutatione muneris facile cogitabit.

§. XXII.

Sicuti litteratus officialis siue id respicias quod iuris siue quod prudentiae est, in domini praecidium nihil agere debet; ita eo infcio siue ignorante eius modi in primis factum fugiat, quod uel minimam de munere sibi demandato, at perperam administrato, adferre suspicionem queat. Litteratus itaque domino infcio pensionem seu certam pecuniae summam ab alio principe, ut officium praestetur quoddam, sibi oblatam prudenter recuset. Officialis oblato pretii abnuitione suspitionis maculam non timeat nec praeuaricationis incurrit crimen. ANT. MATTH. *de crim. ad L. 48. D. tit. VIII. c. 3. n. 2.* Neque ei obiciatur, quod officium, cui praest, haud diligenter obeat. Quum certe ab alio quid accipiens non careat suspitione. Sic referente PETR. IUSTIN. *de reb. Venet. lib. XIII. circa fin.* Fran-

Litteratus
domino
infcio ab alio
pensionem accipias.

cisco Bernardo annuum a FRANCISCO I. Gal-
lorum rege praemium fuisse constitutum de pace
inter eum et Angliae regem procuranda, a sena-
tu autem Venetorum denegatum, legimus. Quin-
uero sciante et patiente domino officialis ab alio
principe certam pecunias summam pro officio ei
exhibendo rite accipiat, uel exempla tot clarissi-
morum in Germania uirorum abunde testantur.
Quodsi nudum honoris titulum respicimus, facilius
erit dubii solutio. Quum enim factum hoc in do-
mini plane non uergit. praedictum, litterato
oblatus dignitatis gradus nequitiam auferatur.
Id quod praxi quoque Romani imperii respondet.
Illustre huius rei relatum legimus in THOMAS
de ARUNDEL exemplum apud RIMER *act.*
publ. Angl. TOM. XVI. p. 301. Rudolpho impera-
tore uiro illi in praemium fortitudinis suae titulum
comitis concedente. Quod factum Angliae regi-
na Elisabeth male quidem ferebat, ast ab impera-
tore data ei notatu digna est responsio: *Novum no-
bis non est, ut ad antecessorum nostrorum imitationem
etiam aliorum principum subditis decernamus, qui faci-
le forimus, subditos itidem nostros a quouis summo prin-
cipe ornari.*

§. XXIII.

Quinam
contractus
dominum
inter et of-
ficialem
interce-
dat?

Non multum autem a proposito abluere scopo
disquisitio illa uidetur: qualem nimirum officialis ad
munus publicum promotio contractus speciem coti-
neat? In eo certe omnes DDrum conueniunt, quod
promotio ea sit contractus, siue inter partes conuen-
tio certum officium, praesfito beneficio, suscipiendi.
Sub-

Subesse hic *contractum feudalem*, ob mercedis et stipendii pensionem, certis conditionibus inter partes definitum, quidam existimant. Milites scilicet ob strenue gesta, et officiales in praemium uel salarium praedia seu feuda olim uel ad tempus uel in perpetuum accipiebant, prout concedentis uoluntati uidebatur, aut inter partes erat conuentum. Quae praedia primis temporibus *honores, militiae, ministeria* audiebant, ut videre est ex STEPH. BALUTIO *ad capitulum reg. Franc. p. 494.* Vocabantur quoque *gratae, beneficia*. Posteriori uoce Romani in simili significatione utebantur, non adhibito feudi, ut uocis germanicae, uocabulo. Post ea uero saeculo scilicet X. uel XI. feudi uox a scriptoribus latinis passim est adhibita. Immo Francia moribus certam pecuniae quantitatem uasalli admittendi gratia fuisse praestitam; inuenimus. Sic VINCENTIUS *spec. doctrin. VII. Cap. CXLII. Non male, inquit, feudum adpellatur beneficium, licet non sit gratuitum, sicut et dos adpellatur donatio propter matrimonium, licet non sit gratuita.* Qui mos uetus, certum praedium salarii loco possidendi, hodieque in Suecia passim obtinet. Interim ob feudorum, loco mercedis antiquitus concessorum et nostrorum officialium stipendii qualitatem differentias, promotionem non esse speciem contractus feudalis, quidam arbitrantur. Alii subesse hic *mandati contractum* sibi imaginantur, quando princeps contractu mandati priuatorum adinstar negocia sua alteri gerenda committeret. Alii promotionem speciem *locationis conductionis* continere existimant, quorum sententiae

etiam B. KRESS. *Diff. de iure offic. et official.* nobiscum adstipulatur. Ostendit ibi uir beatus, nonnullos huic negotio lubentius substituere hos articulos: *do ut des, facio ut des.* Siquidem beneficium detur propter officium et hoc propter illud praestetur. Porro, quod officia publica continent operas locari non solitas, nec certa pecunia, mercede pensabiles *uid. L. 5. §. 2. de P. V.* Unde de officialibus, in primis honoratioribus, quod adsumantur per locationem, hoc dictum esse nefas. Quam bene autem ibi adstruitur, dicta de operis officialium, de mercede, non ad rem ipsam, sed tantum ad uerborum schemata pertinere. Nec aliter mercedem, stipendium, salarium gentium iure, nisi nominis sono differre. Denique exinde concluditur: Dominum *conductoris*, officialem *operarii, mercenarii*, loco esse. Quum uero certum praescribi tempus non soleat, locationem conductionem adesse *indefinitam.* Nec esse, quod quis multa hic disputet, quasi haec in uituperium litteras excolentium essent dicta. Litteratorum iam tum insigniora esse priuilegia. Ingenuos animos mercede quadam ut seruum non esse conducendos. Hic enim non uerba spectari, sed, quid re uera inuoluant, perpendi.

§. XXIV.

Quomodo
litteratus
munceri ri-
te renun-
ciet?

Litteratum ad instar officialis alius officio sibi demando legitima ex causa renunciare, ex supra dictis liquidissime constat. Ea autem renunciatio in domini manus, ut superioris officium concedentis, fiat necesse est. Alias est abdicatio nulla, ut ait
ICTUS

ICTus in L. 20. *de offic. praesid.* Quare infcio abi-
ens domino eundem contemnere et quasi iniuria
adficere uidetur. Eadem ratio est uasalli. Is
feudum, modo non fiat intempestiue, refutare pot-
est. Et ex eadem paritatis ratione fuit, quod do-
minus quoque directus iuri uasallitico renunci-
et. II. FEUD. XIV. Vt uero nec officialis, nec uas-
fallus, sic etiam nec dominus iuri suo uasallagii
pro lubitu renunciare ualet. Dissentit PERILL. *de*
LUDEWIG *Conn. ad A. B. TOM. II. p. 996.*
Quodsi domino fuerit permiffum, quancumque
uellet, nexum soluere feudalem, uasallo ingens
adrefceret detrimentum. Quum enim defenfo-
nis et auxilii gratia uasalli se alterius dominio sub-
miferint, feuda offerendo, nexus certe, quo do-
minus se obftrinxit, eos aduerfus hostes defenden-
di, ex arbitrio diffolui nequit. Quo modo uasalli
feuda obtulerunt, uide fis apud MULLER *im*
Staats-Cabin. in der dritten Eröffn. Conf. BESOLDUS
noce: Wegelzgere, HERT et THOMAS *Diff.*
De Feud. Oblat. Quare ex leuiuel nulla ra-
tione dominus dominio directo non renunciet, fed
mitius cum uasallo aequè in refutatione ac feudi
priuatione agat, quum in primis plurima Germa-
niae feuda fint oblata. Sed, ut reuertamur unde
digreffa fumus. Obiiciunt quidam, quod, ficuti
renunciatio fit iuris commiffi dimiffio; ita officii
renunciatio fine fuperioris confenfu nihil opere-
tur. Immo ANT. FABER *RATIONAL. ad.*
cit. L. 20. ait. Neminem effe fuae dignitatis, ficut nec
nitiae nec membrorum dominum. Vid. MERCKELB.
apud KLOCK I. conf. IX. n. 29. Et Dn. LEY-

G 5

SER

SER Tr. *de ministr. princ. delinq. circa fin. scilicet* II. inter ministri crimina refert, si a sique domini uoluntate officio renunciet et arcanis eius cognitis ad alium transeat principem. Non est uero, quod multi hic sinus in refutandis aduersariorum argumentis. Vno enim illo semel posito, ut in praecedentibus latius adstruximus, quod litteratus nullo vnquam iure a pristino suo domino serui ad instar retineri queat: prono sicut alueo, quod si dominus in litterati abitum absque ratione sufficienti consentire nolit, eum, rei ueritate legitime demonstrata, nullisque, quae falso fingunt, impedimentis obiectis, discedere et munus alibi publicum suscipere, caeteris paribus, de iure liciti sit atque honestum. Eadem iuris potestate princeps officialem ex officio etiam sine legitima causa dimittere potest. (§. XVI.) Precario concessa liberrime reuocantur. L. 17. D. *de precar.* Accedit, quod princeps suo iure utatur, ideoque nemini faciat iniuriam. BALD. ad L. 8. ff. 13. C. *de precob. imper. offer.* Dissentiunt MENOCHIUS *Conf.* 1033. n. 34. GARSIAS *de benefic.* P. I. c. 2. n. 85. Nonnulli laicum inter et clericum officiales distinguunt, ut princeps posteriores pro lubitu dimittere nequeat. Pronocant defendendae suae sententiae causa ad TOM. V. IENENS. LUTHERI *fol.* 328. ubi de eius modi reuocatione plenius dici existimant. Sed merito iure reuocandi eorum erit sententia, quando principi in ecclesiae ministrum idem non licere adstruunt. Quum enim eam sibi clerici, quod possint deserere ecclesiam, et officium alio accepto, deponere, libertatem adscribant; certe, principi etiam eos dimit-

dimittendi libertas non in vniuersum est deneganda. Dn. BOEHMER *in iur. paroch. TO. H. Sect. III. c. 1.* Penes principem est ius sacrorum et cura, quo sacra cum libertate exercentur, *uid. PERILL. de LUDEWIG. Diff. de Princip. S. R. 1. potestate in sacris.* ideo non inique defendatur, quod eius vt plurimum sit, an uocatio, quae uulgo obtenditur, sit diuina, diiudicare. Denique magistratus quilibet ad honestam officialis dimissionem tenetur, alias misero media, ad superiora prouocandi iudicia, conpetunt.

Tandem silentio uix praetereundae uidentur indignabundae istae et minus certe convenientes hominum quorundam de scriptis nostris fermocinationes. Galeatum scilicet, quem observationibus iuris Feudalis nuper praemiseramus, prologum haud placuisse nonnullis audiuius, quos, ne fecialis nunc iis displiceat hic epilodus, rogamus. Quod enim homines male feriat rodendisque tantum absentibus et infcis clanculum seduli, per cuniculos uince heroes aduersus nos, scriptaque nostra fecerunt, deliquerunt: ob eam rem more maiorum in ciuitate hac litteraria iam dudum recepto, uelut in officium emissa hasta bellum ipsis denuo iustum indicimus: atque honestum, vt hora scilicet locoque consueto publicis sollempnibusque, si quid habent, armis nos, nostram doctrinam, nostras etiam has plagulas adgrediantur, obpugnent, uincant, si poterunt, aut nunc loquantur, vt eos uideamus, et experiamur, cuius sit telum magis penetrabile, aut facile confitebuntur, se pugnare nec posse, nec uelle iure, sed nenenatis tantum scorpionum iaculis eius, cuius in perniciem citra ius fasque iurarunt, latus ex insidiis haustum ire. NO-

NOBILISSIMO AC PRAESTANTISSIMO
IO. DAN. FUNCKIO

STRENUO HUIUS SPECIMINIS DE-
FENSORI RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

*E*ximia uoluptate secundae meae in hac academia publice defendendae dissertationi nomen TUUM inscribendam curavi, de TUA in hoc studiorum genere perpolita eruditione certo persuasus. Ea enim in TE est rerum propositarum notitia tantaque subactionis ingenii facultas, ut, qualis TE iam Ratiomonti sub praesidio celebr. FLOTWELLI publice respondendo ostendisti, et qualem TE in hac etiam academia, obponentis partes contra magni nominis Philosophum, BAUMGARTHIUM nostrum, immo contra me ipsum modeste ac erudite tuendo iam tum comprobasti, talis TE quoque, nempe uirtutis ac gloriae cupidissimum, niuiusque diligentiae exemplar Musis nostris praebentem, theses nostras strenue defendendo, praeclare sis commonstraturus. Gratulor TIBI de leganti illa, qua apud nos flores, animi cultura et eruditione, TIBIque sincera mente adprecior, ut optatam studiorum TUORUM metam fausto cursu proxime adsequaris et in patriae emolumentum TUORUMque honorem et gaudium tantos doctrinae TUAE thesauros congeras, quibus ad felicitatis et gloriae culmen felicissimo sidere ascendas. TUA ergo amicitia, quem ad modum hactenus fecisti, in posterum quoque me complendi nunquam desine. Scribeb. Kal. Iun. in a. ad. Viadr.

M D C C X X X I I



(0)



194
93
2871
179.10

6078



28

II
IO
PU



IPUM

ITTERATI
ADEMICA

CKEMAN,
PUBL. ORD.
XXXII
ADRINA

M EXAMINI
CKE

ADRUM
BNERI.

